

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Auff Ihrer Königl. Majest. zu Dennemarck Norwegen,
e[t]c. e[t]c. Allergnädigsten Specialen Befehl, Revidirte
Oldenburgische Stadt-Schul Ordnung**

Adler, Jacob Nicolaus

Oldeoburg, 1703

VD18 13393405

Clausula.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17761

§. XI. Præfectus legum harum observantiam strenue urgeto, industria & promptitudine præito, negligentes atque contumaces indicato, cationes non nisi graves & pias canito. Novas etiam libris inscribi curato, delinquentes multabuntur.

§. XII. Præfecto vel etiam Sub-Præfecto reliqui omnes debitam obedientiam præstanto, secus qui fecerit, pro ratione circumstantiarum & Rectoris arbitrio multabitur.

§. XIII. Interim Præfectus hujusve Vicarius, ea qua par est, diligentia curato, ne concessa sibi potestate abutatur, inferiores colaphis aliisque indignis modis in via publica tractet, secus privilegium turpitudinis committendo, suum amittet privilegium.

Clausula.

§. I.

QUandoquidem vero non sufficit Leges promulgari, nisi obedientes præmiis honorentur: Inobedientes, contumaces & refractarii pœnis coercantur; Nobilissimi & Amplissimi Consistorii Regii adversus omnem inobedientiam promptissima animadversionis voluntas, gravissimaque auctoritas, Præceptoribus præsidio erit.

§. II. Ne vero aliqua ignorantia excusatio subesse possit, leges hæ, superioribus, mediis & infimis hujus Scholæ

Scholæ



Scholæ alumnis à Rectore non modo traduntur, sed & quolibet semestri post inchoatas lectiones publicas & discipulorum translocationem, præsentibus totius Scholæ Præceptoribus & Discipulis publice è cathedra præleguntur & infimis germanice explicantur.

§. III. De his uero legibus, Discipuli ad unum omnes, non nisi graviter, tanquam Dei jussu latis & promulgatis, sentiunt, loquuntur, easdemque studiose, haud secus ac si salus agatur certa, (hæc enim vere & certe agitur) reverenter observant.

§. IV. Quotquot ex Discipulis frugi morigerique futuri, Deum non modo habebunt propitium; Sed & à Rectore, Con-Rectore reliquisque Collegis ob probitatis diligentiaque laudem Magnificis Mecænatibus, Parentibus, Patronis aliisque viris auctoritate & honore conspicuis de meliori nota commendabuntur & pro virili promovebuntur. Secus vero qui fecerint & immorigeros, petulantibus, refractarios, contumaces se gesserint, illis præter iratum Numen, quod omnium est terribilissimum, parata erit correctio, severa objurgatio & digna delictis poena. Interim omnibus & singulis Scholæ nostræ Discipulis sanam precamur mentem in corpore sano per
JESU CHRISTI Meritum & Spiritus Sancti
 Gratiam, Amen.

G 2

LEGES



LEGES DOCENTIUM.

§. I.

Doцентium munere in hoc nostro Lyceo functuri, ante omnia Christiana religione ac pietate imbuti sunt, & tales sese exhibeant, qui Deum O. M. pura, integra, incorrupta & mente & voce venerentur, discipulis suis faciem pietatis & religionis præferant, eosque veram pietatem sectari suo exemplo quotidie doceant.

§. II. Ideo vitam domi & foris eam instituunt, quæ sit ἀνεγκλητος, nec unquam nisi palliati in publicum prodeant.

§. III. Amorem, pacem et concordiam Collegæ omnes inter sese intemerate, sincere et constanter colunt, nec quavis levi de causa altercationes, rixas movent, aut simultates alunt.

§. IV. Nullus Collegarum inferiorum in iusta & legitima causa se Superioribus opponat, ordinem potius & gradus observet, iussa superiorum, præsertim si ad gloriam Dei & scholæ commodum sint directa, absque murmure, hilari fronte & prompto animo exequatur.

§. V. Si quæ forte, quod propitium Numen avertat, simulas aut liticula inter eos exoriantur, eam ad Rectorem deferunt, qui illam aut privatim inter partes litigantes aut adhibita aliorum Collegarum opera componit. Nullam ergo litem aut ad Scholæ Antistites aut ad
maxi-